

14  
4.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
De  
LIBERIS S. R. IM-  
PERII CIVITATI-  
BUS,

Quam  
Auspicio SS. & Individuæ Trinitatis  
DECRETO ET AUCTORITATE

Magnifici *J*ctorum Ordinis in Illustri  
SALANA,

SUB PRÆSIDIO  
DN.

GEORGII ADAMI *S*truvén/  
*J*cti per Orbem Celeberrimi, Sereniss. Ducum Saxo-Vi-  
nariensium Consilarii Intimi, Facultatis Juridicæ Ordinarii, Curie  
Provincialis ac Scabinatus Adfessoris Primarii gravissimi,  
h. t. DECANI,

*Dn. Patroni æternum colendi,*

Pro consequendis summis in utroque Jure  
Privilegiis, Honoribus & Dignitatibus Docto-  
ralibus,

*Publica Censura exponit*

JOH. JOACHIMUS *G*wandschneider / Noribergensis.

*Ad diem 8. Januarii, M. DC. LXXVI. Horis locoque consuetis.*

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.

7

DISPUTATIO INAUGURALIS

LIBERIS S. R. I. M.

PERII CIVITAT.

BUS

Magnifici Torunensis in Illustri  
Decreto et Reverentate

SUB PRÆSIDIO

GEORGII ADAMI SCHURENSIS

Provincialis ac Sacerdotis Adhuc Primæ Græviarum  
narcissus Consiliarius Facultatis Juridicæ Ordinarii Curie  
Isti per Orbem Celebrant, Sereniss. Ducum Saxo-Vi-

Pro consequendis luminis in utroque Jure  
Privilegiis. Honore et Significatus Docto.

JOH. JOACHIMUS GERARDUS SCHURENSIS

JANUS 27. JANUARII 1717.



Magnum DEUM & Salvatorem nostrum Je-  
sum Christum, ejusque auxilium semper  
invocamus. *Novell. 85. in prafat. princ.*

### PRÆFATIO.



T omnis societas Civilis teste Aristot.  
VII. Pol. 14. in verbis *πᾶσι πολιτικῆ ῥησι-  
ωνία* &c. constat ex Imperantibus & Pa-  
rentibus, ita etiam Sacrum Romano-  
Germanicum Imperium tanquam cor-  
pus Christianum, pro ut ita appellatum  
*in Recess. Imper. Colon. de Anno 1512. in fi-  
ne princip.* compositum est ex capite & membris *Tbuan. lib.  
2. prin. hist. sui temp. Job. Limn. lib. 1. cap. 7. n. 50. & seqq.*  
Caput est Imperator, qui appellatur modo populi Chri-  
stiani & fidelium caput temporale, *Aurea Bulla tit. 2. mo-  
do das Ober-Haupt im H. Reiche / Recess. Imper. de Anno  
1566. S. Und nachdem dann. 6. circ. fin. modo ein wachendes  
Haupt des Römischen Keyserthums / Recess. Imper. 1570. S.  
Nach erledigten 24.* Et hoc utimur ut imperante, mem-  
bris verò ut parentibus seu subditis, qui non unius generis,  
sed vel mediati, vel immediati sunt. Uti enim in corpo-  
re membra non sunt paria, sed unum dignitate, seu nobili-  
tate superat alterum; ita subditorum alii sunt eminentio-  
ris conditionis; alii inferioris. Eminentiores dicuntur im-  
mediati, inferiores dicuntur mediati. Sunt autem media-  
tè Imperio subjecti, qui immediatis Imperii subditis im-  
mediate parent, vulgoque appellantur Landfassi, de quibus

tamen hic non agimus. Videatur interim de hac voce *Weber*. in *obs. pract.* & *Besold. in thes. pr.* Immediate Imperio subiecti iterum subdividuntur, quod vel sint status Imperii, vel immediati in specie sic dicti; in genere quidem tō immediate subiectum esse Imperio latius patet, quam statum esse, contradistinguitur tamen huic, si accipias in specie pro iis immediatis, qui non sunt status, tales autē censentur omnes illi Principes, Comites, Barones, aliique in Imperio nostro, qui nihil participant de jure Comitiorum & Suffragii, sed solius immedietatis titulis & privilegiis gaudent, quorum complures creavit Ferdinandus II. Imperat. ut tradit Auctor Libelli, cui titulus: *Status particularis Regiminis Ferdinandi II.* Videatur Hermannus Conring. in *elegant. Dissertatione de Germanic. Imper. Civibus thes. 12.* Huc spectat libera & immediata Imperii nobilitas in Franconia, Svevia & ad tractum Rheni, quorum immedietas stabilita est in Instrumento Pacis, *Artic. IV. §. Liberam Imperii 17.* Referas ad hunc Catalogum quoque Collegia quædam Canonicorum, item Commendatores quosdam Ordinis Teutonici, nec non quædam Castra Ganerbio- rum; pagorum quoque immediatorum mentio fit in Instrumento Pacis *Artic. 5. §. 2.* Ut autem mediati subditi Landsassorum nomine veniunt: ita ex quorundam recentiorum Doctorum sententia immediatos hosce Reichs- sassos non absurdè appellare licebit, præeunte *Magnif. Dn. Strauchio* in *Dissert. de Statut. à sum. princ. §. 7.* Dividuntur autem Status Imperii rejecto Catalogo quatuor viro- rum in tres classes (1.) est Electorum. (2.) Principum. (3.) Civitatum Imperialium, quæ divisio nititur hac ratione, quod in Comitibus per tres hasce classes Senatus, Reichs- Råthe suffragia ferantur. De Electoribus & Principibus

NON

non agam hac vice, sed tantum de ultima classe, Civitatum nempe Imperialium. Quod autem pictoribus in more est, ut vastissimum aliquem distractum depicturi apices tantum & suprema rerum culmina adumbrent & delineent, id ipsum etiam mihi de amplissima, & ut verbis Conringii utar, maximè obscura pariter & dubia Civit. Imper. materia disputaturo usu jam venit. Quoniam enim singulas hujus materiæ jucundissimæ sanè & utilis Controversias hic examinare disputationum lex vetat, aliquas tantum, & quidem potissimas Problematum instar hac vice proponam, exactiorem & pleniorum earum Examinationem in aliud tempus *sub seip* reservaturus. Ut autem iusto nostra tractatio fiat ordine, tres tantum Disputationis nostræ solennis constituam sectiones, (1.) Civitatis tam in genere quàm in specie liberæ scil. naturam, definitionem, divisionem, & originem exponet. (2.) Characteres Civitatum liberarum exhibebit & (3.) tandem de juribus & privilegiis illarum aget. Cui labori nostro ut DEUS Ter Opt. Max. secundum Cœlestem gratiam ex alto benedicat, intimis votis & suspiriis contendimus per Jesum Christum filium unigenitum.

## SECTIO I.

De

*Civitatis tam in genere quàm in  
specie Liberæ sc. natura, definitio-  
ne, divisione & origine.*

I.

**U**T ergo materiam ea, qua par est, methodo elaboremus & expoliamus, solenne nostrum observaturi, considerabimus omnium primò Vocabulum & naturam

A 3

turam

turam Civitatis. Sumitur autem Civitas multifariam (1.) & frequenter quidem pro Urbe, adeo ut passim reperias Civitati tributa, quæ urbi fuissent assignanda & viceversa, sic in *l. 21. ff. quibus modis ususfr. amittatur*, Jctus Modestinus dicit; si ususfructus Civitati legetur, & aratrum in ea inducatur, Civitas esse desinit, ut passa est Carthago; Inde est, ut discentes primò Politica, quando mentio fit Civitatis, semper ibi imaginentur singularem aliquam urbem, ac putent de hac sermonem esse; imò omnia, quæ de administranda Civitate audiunt, urbi statim applicare soleant, cum tamen urbs ut plurimum exigua quædam Civitatis tantum pars sit. Quamvis tamen nec hoc diffiteri possumus, unam aliquam urbem Civitatem constituere posse, prout id factum non duntaxat olim in Civitatibus Græciæ liberis, sed etiam hodiè adhuc præprimis apud Helvetios, & Belgico-Germanos nonnullos Confœderatos, quorum pagi & ditiones singulæ, etsi quarundam auctoritas summa una aliqua in Urbe consistat, constituunt singularem Civitatem: notant tamen hic nonnulli, Civitatem pro urbe apud Græcos Scriptores, imò & apud Latinos Antiquos nunquam obtinuisse, sed sequioribus demum seculis ejusmodi usurpationem inductam esse. Apud utrosque namque, ubi reperitur vox Civitatis, semper denotatur Civilis hominum societas, quæ nobis (2.) acceptio, urbs aliqua non nisi per accidens, utriusque hujus rei differentias eleganter proponit Cicero *Lib. I. de Republ.* quem hic consule. (3.) Sumitur Civitas pro Republica, etsi non parum hæc etiam inter se differant. *Vide Philosoph. III. polit. 3. & 4. Junge Isocratem in Oratione Arcopagi.*

II. Sed de his acceptionibus cum Lexicographi & Philosophi plenius agant, prolixius non ero, præprimis cum hodiè



diè fermè promiscuè soleant accipi, Oppidum, Urbs, Civitas, & Municipium perinde ac pagus & vicus & villa plerisque idem ferè significat; neque enim nunc demum ita usum venit, sed pridem, ipso jam declinantis in barbariem & ruinam Romani Imperii ævo.

III. Julii quidem Cæsaris & Augusti tempestate Civitas, ut jam dixi, erat integrum Reipubl. alicujus corpus: Urbs, Oppidum mœnibus aut aggere cinctum, certè non nisi id, quod munitum erat: Municipium Oppidum illud duntaxat, cujus incolæ capaces dignitatum, juriumque Civilium in ipsa Urbe Roma signabat. Pagus erat Regionis aliquod integrum territorium, quod Germani appellant ein Amt/ & sequioris Seculi Francis latinè Comitatus. Villa denique olim notabat domum fundi agrestis. Ac nos quidem sequemur nunc usum aurei Latinitatis ævi, nec tamen sœvum pridem loquendi morem in quoquam improbabimus. Parum enim refert, modò rem ipsam probè teneamus.

IV. Est autem civitas prout passim ab Aristotele definitur, multitudo hominum, qui boni Civiles consequendi, vel mali evitandi gratia in unum quasi corpus coeunt, & totum quoddam constituunt. Quemadmodum autem olim, cum Respubl. Romana floreret, non una eademque omnium Civitatum conditio fuit, ita nec hodie, si præsentem Imperii Romano-Germanici statum intueamur.

V. Populùm autem Romanum quod concernit, is quasdam sibi subjecit, quasdam liberaas reliquit. Teste enim Livio lib. 3. Decade 4. Titus Quint. Flam. Philippo Macedone juniore primò in faucibus Epiri, ac deinde Thessalia superato, Senatùs populique Romani Decreto, omnes Civitates Græciæ liberaas esse, suoque jure uti jussit, ex Epistola Antonini Pii Urbes dividebantur in Maximas, Majores, & Mi-

Minores, pro ratione scil. privilegiorum Majorum vel Minorum quibus fruebantur. Videatur *Guid. Pancirol. in tract. de Magistr. Municipalibus. cap. 8. in pr. P. Gregor. Tholosan. de Republ. l. 2. c. 1. n. 5.*

VI. Secundum nostrum statum in Germania triplicem rerum publicarum conditionem deprehendimus: nam quædam liberæ sunt, quædam Municipales, quædam mixtum obtinent statum.

VII. Ventilatur autem elegans Controversia hîc, an in Germania nostra sint Civitates, inter Civitates verè Imperiales, vereque Municipales mixtum statum obtinentes, hoc est, quæ quidem Principem, in cujus territorio sitæ; pro superiori agnoscant, sed tamen jurisdictionem aliaque publica jura proprio jure habeant, Imperii nimirum vel Imperatoris concessione, & licet quidem Knichen. multis in locis hoc acerrimè oppugnet, videntur tamen nobiscum rectius sentire, qui hoc dicunt.

IX. Idem enim jam olim agnovit *Mynsing. & ex Recentioribus Matth. Stephani, Brüning. Cluten. Reinking.* aliiq; plures. Et confirmari solet hæc distinctio præjudicio maxime illustri de Civ. Hamburgensi, cum enim illâ civitatē multos ante Annos Holsatiæ Principes tq. simpliciter subiectam, mereq; Provinciam sibi appropriare, inibiq; Imperiū exercere iterentur; hanc litem ita diremit Carol. IV. Lubecæ, nempe ut ex *Cranzio recenset Reinking. lib. 1. classe 4. c. 20. n. 8. de Regimine Secul. & Ecclesiast.* iussit Hamburgum Comitibus (tales enim tum erant, qui hodiè Duces Holsatiæ) parere, salvis libertatibus, quas ab Imperiali culmine promeruerant, quod nihil aliud est, ac si dixisset Civitatem, quoad suas immunitates, Libertates, Privilegia, Imperio immediatè subiectam esse, horumque etiam respectu Principem

cipem illi nihil præcipere posse, unde sanè ipsi plene subdita haud dici debet.

IX. Similia etiam præjudicia habuimus in causa Mainz contra Erfford, & Braunschweig contra Braunschweig circa annum 1599. Verùm quia status dictarum Civitatum ante aliquot annos penitus est mutatus, de libertate illarum mihi hîc differere ulterius integrum non erit.

X. Observandum tamen est, Civitatum mixtarum potestatem modo ampliorem, modo angustiore, & ita non uniformem esse, unde notant DD. tenorem pactorum ac Conditionem, quibus Principi subjectæ sunt, ut & Privilegia inspicienda esse, numque Regalia & Privilegia sua ab Imperatore, an à suis Principibus habeant. Et licet *Paurmeisterus lib. 2. de Jurisdic. c. ult.* etiam hocce genus Civitatum, ex eo quoque oppugnet, quod Constitutiones & Acta Imperii talia Civitatum genera non agnoscant, hoc tamen nos non debet movere, quia hæc distinctio ex rei ipsius natura desumpta est, & à Jctis non temere excogitata. Conflictus plura docebit.

XI. His præmissis, quid libera Civitas sit, videbimus, ubi statim se notandum offert, quod liberæ Civitates pro temporis & Reipubl. usu hodierno trifariam accipiuntur. (1.) pro iis quæ non in totum liberæ, sed in quibusdam ab Imperii & Cæsaris protectione exemptæ sunt, quales tempore Caroli & Ottonis primi Civitates Longobardicæ fuerunt. *Carolus Sigonius in Ottone Magno fol. 175.* (2.) Civitates liberæ dicuntur, quæ non à Cæsaris vel Imperatoris, sed Principum, Ducumve jurisdictione & potestate exemptæ sunt. (3.) pro illis ponuntur quæ secundum quid Principibus subdita, secundum quid liberæ sunt.

B

XII. De

XII. De secundo genere Civitatum Liberarum hic agendum, quas cum *Paumeisero lib. 2. c. ult. n. 11.* ita definimus: Quod sint communitates directo Imperio parentes, jus sessuræ & suffragiorum in Comitibus obtinentes. Notanter dixi, communitates directo Imperio parentes; Civitates quippe imperiales nulum inferiorem Principem, vel alium Imperii statum superiorem agnoscunt, sed soli Imperatori immediatè subsunt, & partim semper eam libertatem retinuerunt, partim cum sub Inferioris Principis, Comitibus vel alterius Iugo essent, exemptionem obtinuerunt, libertatemque recuperaverunt.

XIII. Et licet non desint Principes Vicini, qui ratione meri mixtiq; Imperii vel Vectigalium, vel salvi conductus, vel similibus in totum vel tantum ex parte aliquod jus in nonnullis Civitatibus Imperialibus ex præscriptione vel conventionem cum iis in aliove modo acquisiverunt, tamen eæ liberae Civitates statusque Imperii nihilominus remanent, & reliqua Regalia salva retinent ut scribit *Sixtinus de Regalibus lib. 1. c. 5. n. 82.*

XIV. Sic Duces Brunsvicenses quædam jura non vulgaris Goslaris obtinent, non tamen statim Civitas est illorum Principum Municipalis, sed Libera Imperii. Marchiones Brandenburgenses habuerunt Burggraviatum Noribergensem, Norimberga tamen fuit & est Libera Imperii Civitas; quæ enim Burggravorum jura ibi olim erant, pretio dato cum suis consolidavit. Sic Elector Saxonis est Burggravius Magdeburgensis, Magdeburgum tamen nullatenus Ducibus Saxonis paret. *Videatur Hordeder. de Caus. Bell. Germ. lib. 5. c. 28. p. 1223.* Annon in Coloniensi Civitate Reverendissimo & Serenissimo Electori  
com

competit exercitium majoris partis meri Imperii? (Civitati quippe competit tantum jus incarcerationi & inquirendi Annon jura quædam Dux Juliacensis quondam in antiqua Civitate Imperiali Aquisgranensi habuit? Annon Episcopus Spirensis, Wormatiensis, Augustanus in Civitatibus ejusdem nominis jura sua prætendunt & habent?)

XV. Plura quidem exempla possum proferre, sed quia temporis & pagellarum angustia hoc non admittere videtur, magis est, ut pergam ad divisiones & distinctiones Civitatum Imperialium. Et solent quidem tam antiquiores, quam recentiores multi Civitates Imperiales distinguere in Civitates Imperiales Liberas, & Civitates Imperiales simpliciter ita dictas, has appellant *Kaiserliche Reichs-Städte* / illas *Kaiserliche freye Reichs-Städte* / putantque simpliciter Imperiales illas quondam dictas esse Civitates, quas Germaniæ Reges vel Cæsares condiderunt, & quæ Imperio statim ab initio addictæ fuerunt, ac in ejus rei testimonium in ipsis plerumque insignium suorum scutis, vel Aquilam integram, vel aliquid habent ex Aquila, hasque olim villas publicas dictas fuisse jactant ex *Marquard Freber. ad Pet. de Andlo fol. 75.* Liberas verò Imperiales Civitates *Freye Reichs-Städte* eas indigitatas reputant, quæ olim sub jugo fuerunt Episcoporum vel aliorum, eaque potestate liberatæ, ultrò sese juri Imperiali subdiderunt. Hodie tamen sive ab initio liberæ relictæ, seu postea immunitate donatæ sint, quoad immediatam subjectionem nihil interest, sed omnes pari jure censentur, eadem libertate fruuntur, & statibus annumerantur, *Aurea Bulla Carol. IV. tit. 1. ibi: Civibus & communitatibus castrorum, Civitatum & locorum. Reformation Kaiser Friedrichs des III. zu Brandenburgh am Mayn/ Anno*

1442. auffgerichtet in pr. ibi: Gemeinden aller und jeglicher Städte. Videatur *Andr. Knichen de jure territ. & Velit at. Apologet. n. 87. & 88.* ibi: Gemeiniglich tamen & collective dehac differentia zu reden / sind Freye und Reichs-Städte in Grund ein Ding / als nemlich / daß alle Reichs-Städte / auch Freye Städte / sind und genant / werden sollen / eo respectu & fundamento, daß sie sonst keinen andern Herrn / denn das Heil. Römische Reich / oder Käyserliche Majestät / oder des Heil. Reichs Ständen oder auch sonsten Handlung pflegen thut / der Titul der Freyen und Reichs-Städte gemeiniglich copulative gesetzt / wie denn solche Titul in des Käyserlichen Fiscals Registrern / und des Heil. Reichs Anlegungen / item in Reichs-Abschieden / oder andern Handlungen / mit oder gegen denselben / auch copulative gesetzt und eingeschrieben ist /c.

XVI. Hoc tamen negari nequit inter Imperiales Civitates quasdam esse principaliores, quasdam minores seu minus principales. Principaliores in alias viciniores minores jus aliquod directionis earum consensu usurpant; hæcque ab illis consiliis & suffragiis valde dependent, nec in publicis facile ab iis recedunt, sicut in gravioribus quicquam sine earum auctoritate decernunt. Sic Fridberga, Gellhusium, Wezlaria diriguntur, & dependent à Francofurtensibus. Civitates Vandalicæ & ad mare Balthicum sitæ dependent & diriguntur à Civitate Lubecensibus. Consule *Matth. Steph. de jurisdict. lib. 2. pag. 2. cap. 7.* & hoc eò processit, ut quædam civitates minores ad majores in causis & litibus provocent & appellent, earumque decisionem expetant, quod tamen magis in vim consultationis, quàm alicujus jurisdictionis fieri censetur.

XVII. Ex

XVII. Ex primariis autem Civitatibus quædam dicuntur die aufschreibende Städte / in quarum numero in superiori Germania sunt, Argentoratum, Noriberga, Francofurtum & Ulma, quæ quandoque universotum, quandoque singulorum causas, negotia, sollicitationes & intercessionem suscipiunt, & procurant. Videatur *Dn. VVilb. Becker in Synops. juris Imperii Roman. Germ. lib. 3. cap. 9. §. 6. & ultimo.* Non etiam omittendum; quod in comitiis ipsis Civitates dividantur in duo scamna, sverden in die Rheinische und Schwäbische Bank abgetheilet. *Reusnerus de Urb. Germ. Imper. lib. 1. fol. 25.*

XIIX. Quia verò juxta l. i. ff. de orig. juris, Origine non repetita Tractatio materiæ non videtur perfecta, ideo paucis de Initiis Civitatum Imperialium sum acturum. Originem enim omnium oppidorum & Urbium Germanicarum in genere hic exponere, nimis foret longum, saltem hoc dicimus, quod jam tum ab omni retro memoria Magnæ Germaniæ sua oppida quidem fuerint, Urbes tamen hoc est Oppida Munita serò cœperint institui. Nec enim Taciti duntaxat testimonio novimus, ista quidem tempestate nullas Germaniæ fuisse Urbes, sed sequentium quoque temporum ad seculum usque decimum, bella omnia ita memorantur, ut per universam Germaniam Magnam (si pauca trans Albim excipias) nullum oppidum munitum extitisse, liquido appareat.

XIX. Imò constat abhorruisse olim Germaniæ populos à munimentorum inhabitatione, tanquam libertati & fortitudini indecora. Hinc etiam Arces sive Castella ad illa usque tempora perquam fuerunt rara. Et si fortassis hodieque super sint, passim in Saxonia nonnullæ speculæ, latericiæ à Druso quondam aliisque in usum Romanæ militiæ

litia exstructæ. In Saxonia certè primus Henricus Auc-  
ceps muniendis Urbibus operam impendit; & tamen illæ,  
quæ hodie sunt potissima longo demum post tempore  
Mœnia & aggeres acceperunt, cum pridem haud parum  
floruisse.

XX. Sed quorsum hæc? De origine enim Urbium Im-  
perialium potissima hinc nobis cura, de his enim solis non  
nihil nos dubios facit, quod illarum disertè nusquam fiat  
mentio in antiquis monumentis. Nam quod à *Lebman-  
no lib. 4. cap. 3. Chronici spirens.* adducitur è *Rhadewici lib. 2.  
cap. 3.* Friderico I. etiam Cæsare Civitatum Consules in  
Runcalias esse citatos, id ad Italicas quidem Urbes pertinet,  
at ea ætate longe inferiore conditione fuerunt Urbes Ger-  
manicæ, quod optimè docet idem Vir harum rerum longè  
experientissimus *eod. cap.*

XXI. Primis autem Saxoniorum Cæsarum tempori-  
bus in multitudine sic dicta, & urbium fortè nonnullarum  
delegati fuerunt. Fuit quippe & tum multitudini aliquis in  
Comitiis locus. Liqueat scilicet id ipsum ex electione Hein-  
rici Aucupis, quam *Lib. 1.* magis clarè ex electione Ottonis  
Magni quam *lib. 2. describit Witikindus:* ex Dithmari, item *l.  
4. & 5.* ubi describitur electio Henr. II. ex *Wipponè* denique,  
quo loco narrat Conradi Saliqui electionem. Sed multi-  
tudinis illius maximam partem videntur constituisse eque-  
stris dignitatis homines, quos dehinc milites dixerunt. Se-  
quentibus tamen seculis omne hoc videtur abolitum, sive  
quod multitudinis nulla prope ratio haberetur, sine quod  
sumtuosiora essent Comitia, quam ut ferendis sumtibus  
sufficeretur, sive denique quod nulli ex hisce Comitiis fru-  
ctus sperarentur.

XXII. Seculo autem à nato Servatore XIV. paulatim ur-  
bes



bes iterum ad Comitia accitæ, quod illa tempeffate & numerus earum fat magnus effet & præcipuæ opes & vires Imperii iis continerentur, novisque sumtibus ad onera publica effet opus quàm maximè. Quæ ergo Civitates ab eo tempore ad hunc usque diem sunt ad Comitia accitæ, illæ pro liberis reputâtur, cum præprimis nunc pleno Jure Conciliorum fruantur. Et hæc etiam paucis de origine.

## SECTIO II.

De

### *Notis seu Characteribus Civitatum Imperii liberarum.*

I.

VARIAS vox Græcica Character habet significaciones. (1.) enim accipitur pro signo, vel forma insculpta, quo sensu ab Ulpiano usurpatur in *L. 22. §. 5. ff. qui testam. fac. possunt*, ubi talis annulus ad signandum testamentum desideratur, qui habeat χαρακτήρα. (2.) Sumitur pro forma dicendi, seu genere Orationis, quam acceptionem Germani exprimunt *Durch eine Redens. Art* (3.) Pro descriptione, quâ describitur aliqua res, veluti ex nota ei impressa à cæteris rebus eam distinguendo. *Cic. in Top.* (4.) pro imagine prout in *Epist. ad Hebr. 1. v. 3.* vocem χαρακτήρις B Luth. vertit ein Ebenbild. *Vide Lips. Cent. 1. ad Belg. Epist. 4.* ubi dicit: Certior mihi adeo Character animi Stylus videtur, quàm fermo: (5.) Tandem accipitur pro forma interna ex mente Cicer. ad Brutum in Oration. quando ait: In omni re difficilimum est, formam, quæ Character græcè dicitur, exponere. Et hac acceptione nunc videbimus, quales sint ordine Characteres.

II. In-

II. Inter Characteres autem Civitatum Imperii refertur I. Immedietas, scilicet ut Civitas aliqua immediatè Imperatori & Imperio sit subjecta. Sectione enim PRIMA in explicatione definitionis jam dictum, Civitates Imperiales nullum inferiorem Principem vel alium Imperii statum superiorem agnoscere, sed soli Imperatori immediatè subesse debere: sed hoc ita demum procedit, si cum respectu ad jus suffragii assertio consideratur. Extra enim hunc respectum, & in sensu absoluto non possum inferre; est immediatus, ergo est status Imperii, prout perperam sentit *Daniel Otto in Jure Publ. c. 17. non procul ab initio pag. 543.* in verbis: Quia statum Imperii esse non patrimonii qualitas, sed personæ est dignitas. Intelligo autem illam immedietatem, non tam ratione personæ, quam quidem, non totaliter excludimus, quàm bonorum.

III. Non autem putandum, omnes Cives in Imperiali urbe debere esse immediatos, in Civitatibus quippe talibus non Cives singuli, imò ne quidem senatus vel Consul (extra causam vel Civitatis negotium) sed in Aristocratico Civitatis Regimine universi Patricii, in Democratico verò tota Communitas Imperii repræsentat ordinem, & hæc debet esse immediata; universitas enim à singulis diversa est. *Gail. de pignor. c. 6. n. 11.* nec Civis totius universitatis & corporis honorem sibi arrogare potest. *Mindan. de process. extr. abend. lib. 1. cap. 31.*

IV. Bonorum immedietatem quod attinet, planè persuasum mihi habeo necessarium & essenziale esse Civitatis Imperialis præsuppositum, adeo, ut in genere nullus immediatus, qui talibus non sit instructus, non possit in Statuum cooptari númerum. Competit nimirum Statibus Imperii quatenus talibus, jus territoriale seu superioritatis,

ut

ut de Civitatibus nostris infra ostendam: nunc autem ut qualitas sine subjecto, ita superioritas hæc territorialis sine territorio fundari non potest. *Videatur Wonnser. Exerc. 3. Jurispubl. lib. 20.* (Dicere enim, habere quem jus territoriale, sed nullum territorium, absurdum est, quia non entis nullæ sunt affectiones.) Ergo necesse est statum Imperii bona immediata, (quæ nomine territorii veniunt) ab Imperio haberi. Nulla itaque communio, nullave societas sine territorio potest jactitare, non dicam impetrare Characterem status.

V. Huc facit quod Jacobus *Lampadius port. 3. c. 3. S. 4.* refert, suo tempore nemini locum in Comitibus factum, qui non sublimis territorii jura in propriis ditionibus obtinerit, subjiciens hæc insuper verba: Atque adeo territorio innixa videtur suffragii potestas, ut nonnulli pro ratione diversarum ditionum Votorum pluralitate emineant. Quinimo maximè jam dicta confirmant *novissima Capitulationes* & quidem Ferdinand. IV. *Artic. 45.* Leopold. *artic. 44.* nec non *Recessus Imperii de Anno 1654. S. 197.* ibi: und sollte forthin ohne vorgehende Real-Erfüllung. Frustra ergo laborare videtur cum aliis *Limæus, qui lib. 1. Jur. Publ. c. 7. n. ult.* contrarium defendere voluit.

VI. Notandum autem benè, quod Civitas Imperialis talis non amplius maneat, postquam immediata Imperii bona habere desinit, & ab alio vicino, vel Rege, vel Electore, vel Principe est subjugata, id enim sua sponte è præcedenti fundamento fluit: scilicet tò statum esse, radicatum est in bonis immediatis seu territorio, cum hoc autem deficiat alterum. Exempla habemus in Donavverda, Soft, Lemchau &c. de quibus *Knipschild* specialiter in prolixo suo Commentario. Invenimus quidem hic iterum valdè  
C  
diffen-

dissentientem *Limmaum*, qui fretus auctoritate quorundam *Lib. 1. cap. 7. num. 96.* ibique in addit. *Tom. I.* infert: Statum Imperii remanere etiam eum, qui in Imperio nihil amplius ipossideat. Eiusdem sententiæ sectatores reperio *Ottoneum de jure Publ. cap. 17. Müllerum de statu Imper. cap. 11.*

VII. Sed non rectè illorum se habere sententiam exinde facile cuius manifestum evadit; quia nimirum (1.) ejusmodi Civitati planè non competit definitio Status, cui autem non competit definitio . ei nec definitum. Deinde (2.) certum & infallibile est Status Imperii ratione subjectorum territoriorum in Comitibus suffragia ferre, ita ut quidam status pro numero ac diversitate ditionum suarum diversa quoque atque plura præ cæteris nonnunquam ferat vota, nec (3.) negari potest, superioritatem territorialem, quæ necessariò ex jure suffragandi fluit in hujusmodi immediatum, immediatis ditionibus destitutum, cadere non posse, quia superioritas illa sine territorio fundari nequit. Quomodo ergo Status Imperii nominari possit is, qui neque jure suffragii, neque superioritate territoriali gaudet, planè non video.

IX. Non tamen destruit immediatatem, licet civitas Imperialis aliqua ratione quorundam bonorum vel secundum quid alteri statui juramento fidelitatis, vel etiam subjectionis sit devincta, exempla supra dedimus in Coloniensi, Spirensi, Wormatiensi, Goslariensi, Hamburgensi &c. Civitatibus. Putarunt equidem nonnulli, sententiam hanc subsistere non posse, fieri enim hac ratione, ut quis simul mediati & immediati nomine clueat, quæ duo tamen essent contrariæ qualitates, adeoque unum idemque subjectum ingredi recusantes, proinde ne talis status Imperii simul mediatus subditus, seu Landsassus dici posset, varias ratio-

rationes attulerunt, quas vide apud *Dn. Reink. lib. 1, cl. 4. c. 1. 78. 53. & multis seqq.*

IX. Sed non est quod quisquam putet hæc duo ita esse contraria, ut non possint sub diverso respectu cadere in unum subjectum. Nam licet aliquis Status Imperii alteri statui ratione certorum bonorum verè sit subjectus, & ita fiat Mediatuus; nihil tamen impedit, quo minùs ipse respectu cæterorum immediatorum bonorum, etiam immediati qualitatem retineat; siquidem una eademque persona diversis qualitatibus prædita pro diversa quoque rectè haberi, diversoque jure censi potest. *N. A. de Anno 1548. §. Nachdem auch 69. jungatur Reink. l. 1. cl. 2. cap. 2. num. 164. & lib. 1. cl. 5. cap. 10. num. 31. & seqq.* Et hæc assertio in tantum vera est, ut talis subjectio nequidem Majestati alicujus officiat: constat enim Regem Hispaniæ ratione Burgundiæ, Regem Daniæ ratione Holsatiæ, Regem Sveciæ ratione Pomeraniæ, & Ducatus Bremensis aliarumque ditionum ut Status Imperii nostri fidem eidem & obsequium debere, & tamen extra hunc respectum in Regnis suis superiorem agnoscunt neminem. Unde patet, quod una persona vicem duarum diversis respectibus repræsentare haud ineptè possit.

X. Sequitur Civitatum Imperialium Character II. nempe Jus sessionis & suffragii: Civitati enim asserenti se esse Imperialem non creditur, nisi & jus sessionis & suffragii probaverit. Hinc *Conring. de German. Imper. Civ. th. 5. & 6. & præprimis 8.* hocce jus suffragiorum usque ad eò esse proprium veri ordinis ac status Imperii asserit, ut essentialiter ejus unicè constituat; secutus *Aristotelem III. Polit. 1.* qui verum Civem sola potestate judicandi de iis, quæ ad *τὸ νέειον* vel summam Reipubl. pertinent, censendum putavit,

*Caspar Peucerus* quidem in complemento Chronici Philippi Melanch. *lib. 5.* & Italicus quidam author Politici thesauri *par. 1. fol. 60.* statuunt: Civitates nostras imperiales non suffragandi, sed consulendi tantum Jus habere existimant: Sed malè. Non enim nudum tantum dandi consilium, sed etiam sedendi & suffragandi Jus in Comitibus olim habuere, & nunc habent: nam ex *Aurea Bulla* Caroli IV. non minus ex Civitatum, quam Principum consilio res in Comitibus directas fuisse compertum est. *in fin. princ. ibi: Nobilium & civitatum multitudine numerosa,* seu ut Germanicè sonat: Mannichfältige der Städte Botschafften. junge: Reformation Kaiser Friedrich des III. zu Frankfurt am Mayn Anno 1442. aufgericht in princ. ibi: Gemeinden aller und jeden Städten.

XI. Præterea omnes ferè Recessus disertam Civitatum mentionem faciunt. Et licet quibusdam in locis Civitatum nomen expressè non ponatur, sub generali tamen reliquorum Statuum appellatione ex comprehenduntur. Ad hæc civitates sub hoc verborum formula ad Comitibus vocantur; Mit uns neben allen andern Ständen helfen handeln/rathschlagen und beschliessen. *Vid. Ludovic. Grempe. & Hieron. zum Lam in Respons. Der Erbaren Freyen und Reichs Städten session Stand und Stimm belangend quest. 1. §. zum vierdten ist in der gülden Bulla, per tot ubi latissimè.* Consule etiam *Martinum Rumelinum ad Aur. Bull. part. 1. lb. 10.* ubi argumenta pro & contra invenies.

XII. Quemadmodum igitur nullus Status Imperii sine sessione & suffragii Jure admittitur, ita nec Civitas Imperii libera sine hisce signis datur; est quippe hoc Jus de essentia Status, ejusque verus character & nunquam potest ab Imperii Civitate abesse: nam contradictionem involveret alias

lias manifestam, esse statum & Civitatem Imperii, nec tamen jus sessionis & suffragii obtinere. Et licet *Limneus Tom. I. addit ad lib. I. Jur. Publ. c. 7. n. 69.* circa finem in genere tradat; Votum & sessionem accidentia tantum esse Status, quæ adesse & abesse possint salva status essentia: Verum, quam benè hoc ipse statuatur ex supra modo dictis satis patere opinor.

XIII. Et hæc, quæ hactenus de forma Characterè, & qualitate Civitatum Imperii Liberarum diximus, non sufficiunt alternativè, sed requiruntur copulativè, nec enim immediata qualitas sufficit separatim, neque satis est Jus suffragii & sessionis, sed utraque qualitas necessariò desideratur, juxta textum apertum in *Recess. Deputat. de Anno 1564. S. und wollen wir als Römischer Kaiser gegen denen / so nit Stände des H. Reichs / jedoch dem Heil. Reich immediate unterworfen / &c.* & hoc juxta notissimam Juris Theoricam, quando plures qualitates copulativè à lege requiruntur, deficiente una deficit ipsa Juris dispositio. Ubi itaque Civitas habet qualitatem medietatis & jus suffragii & sessionis, ibi honorificus Imperialis Urbis titulus potest habere locum.

XIV. Neutiquam itaque I. sola vocatio ad Comitiam Characterem Civitatis Imperialis constituit. Nulla enim est consequentia. Vocatur quis ad Comitiam, ergo est status Imperii. Multi enim non modo Immediati, sed & Medietati quandoq; ad Comitiam vocantur non quidem eum finem ut suffragia ferant, sed ad alium effectum ex variis causarum figuris. Deinde multos etiam nonnunquam ex errore vocari solere, qui vocari minimè deberent, omissis necessariis vocandis. Satis jam dudum conquestus est *Dn. Covring. in disp. de German. Imper. Civ. tb. 50.* cujus rei ma-

nifestum nobis præbuit exemplum Civitas Magdeburgensis, quæ licet inter Status Imperii non numeretur, tamen ex errore ad Comitata vocata, eaque propter ipsius Imperatoris decreto Cassatorio sub dato Wien 13. Januar. Anno 1663. à Jure Comitiorum exclusa fuit, testantibus ipsis Comitialibus actis, & scripto in lucem publicam Anno 1665. emissio sub titulo: *Ferner zweiter Bericht in Sachen des primat und Erbstift Magdeburg/ contra die alte Stadt Magdeburg Videatur Strauch. in dissert. Exot. 3. thes. 12. sine.*

XV. Nec II. pro caractere Civitatis Imperialis habenda est solutio Collectarum, nam quicquid modo potest adesse modo abesse, illud non ingreditur essentiam alicujus rei, sed est illius accidens; Nunc autem licet nonnullæ Civitates seu status solvant contributiones seu Collectas, reperire tamen etiam licet quasdam & quosdam, qui nihil contribuunt. Quemadmodum itaq; quidam status Imperii sunt, qui nihil contribuunt, de quibus *Lynæus Lib. 1. c. 7. n. 97.* ita contra multi solvunt collectas, qui tamen non sunt status. Malè ergò à plerisque Juris Publici Doctoribus solutio Collectarum Imperialium inter notas seu characteres essentialia refertur, qua in sententia *Otto de J. P. c. 17. p. m. 565. Wilhelm. Becker. lib. 3. Syn. J. P. c. 2. num. 4.* & alios quorum Catalogum prolixiorum hic recensere aumus non est.

XVI. Haud quaquam etiam III. arguit characterem libera Imperialis Civitatis Relatio in Matriculam. Nam præterquam, quod in multis Rebus publicis nulla habeatur Matricula, dicendum erit notante Conringio allegata disputatione *thes. 9.* ante illam Matriculam Imperii nostri, quam Imperator Sigismundus Anno 1431. conscribi jussit,

ne



ne ullius quidem Matriculæ extare memoriam in Republ. nostra, quis tamen exinde concludat, ante illam Sigismundi Matriculam nullos fuisse status Imperii? Et sane si Matriculæ aliquid tribuendum, saltem præsumptionem inducit, adeoque probabile tantum tribuit argumentum, exempla habes in Civitatibus Dangig & Elbingen / item Niedertwessel / Sost / Barckelt / Lemgau / Berde / Herfurth /c. quæ omnes Matriculæ insertæ sunt, & tamen pro Imperialibus non habentur. Cujus rei causa hæc videtur, quod multiplex detur Matricularum Varietas atque error, adeoque nulla ab omnibus ut perfecta & authentica sit recepta, nequidem illa de Anno 1521. Wormatiæ elaborata, licet dissentiat *Wurmser exercit. J.P. 1. quest. 16.* Patet enim & de ea Satus sæpè conquestos fuisse. **R. A. zu Augspurg Anno 1548. §. 69. item. §. 73.** die weil auch etliche viel Stände / wie die in der Rinnerungs-Handlung unterschiedlich benennet. deque illa emendanda atque perficienda expressè cautum fuisse in *Recessu Anno 1570. §.* wann dann darbey 3. Perperam itaque iterum sentiunt, qui solam Matriculæ insertionem, quæ pariter nudum est accidens, pro vera status & Civitatis Imperialis nota habent, proptereaq; definitione status eam inserunt. *Vid. Hermann Herms in fasciculo J.P.c.5.n.6.15 8.*

XVII. Denique IV. pro Civitatibus Imperialibus Colossus scil. Statua Rulandica nequaquam indubitatum est signum Libertatis. Animadvertere enim licet in multis Germaniæ Urbibus, Statuas sive Colossos, quos vocant Ruland, de quorum appellatione & origine valdè solliciti sunt Auctores, cum primis Historici: tradit quidem *Cuspinianus in Carolo M.* Colossos illos in honorem Ducis Rulandi Caroli M. ex sore Bretha Nepotis ob præclarènavatam in expugnandis Saxonibus operam positos esse: Ve-

num

rum assertionem hanc fabulæ, quæm veritati similiorem appellat *Conring. in disput. de Urb. Germ. tb. 70. & seqq.* per adductas ibidem rationes, quas huc transcribere integrum non est. Acceptabilior Originatio & appellatio *Dn. Job. Gripiandri in singulari tractatu de Weichbild Saxon. c. 71. & 74.* ubi inter alia sequentia ex Goldasto refert: Isti dero-  
wegen statua Rulandica, Rulands-Bild nichts anders/als Weichbild / hoc est, statua, per quam notatur ibi esse forum publicum causarum, Jurisdictionem, Locum Justitiæ districtum, Territorium, oder wie es die alten Teutschen eigentlich genant haben Mallum publicum, eine Marktstadt / da man frey Kaysersliche Gericht halte. *Videatur Spei del. in speculo suo Voce Rulands-Bild.* Ex quibus sanè valde dubia redditur sententia omnium, Statuam illam Rulandianam, pro indubitato libertatis, documento atque signo habentium; imo, si exinde Civitatum Imperialium asserenda esset libertas, dicendum foret, omnes illas Civitates, quæ habent ejusmodi Colossum libertate gaudere, quod est absurdum; reperitur quippe talis statua in multis Civitatibus Municipalibus, als Halla in Sachsen / Magdeburg / Göttingen / Halberstadt / Zerbst / Ständel / &c. in plurimis locis quid hæc statua sit, prorsus ignoratur, Quapropter in Contrarium sic quoque absurdè quis in-ferret: Hæc vel illa Civitas non habet ejusmodi statuam, ergo non est Imperialis. Et hæc etiam dicta de veris & apparentibus signis Civitatum Imperialium. Ultimò nunc restat, ut paucis etiam de illarum Juribus agamus.

## Sectio

# SECTIO III.

&

ULTIMA

De

## *Juribus Civitatum Imperi- alium.*

I.

Superest ut ex lege Methodi, paucula de Juribus Civita-  
tum nostrarum Imperialium addamus. Primò autem om-  
nium notandum duxi nostris hodiernis Civitatib<sup>9</sup> Impe-  
rialibus longè majora & nobiliora Privilegia & Jura com-  
petere quam antiquioribus. Constat enim ex historiis an-  
tiquis olim Civitates Imperiales, ita subditas fuisse Impe-  
ratori, ut nunc Principibus aliis suæ Civitates Munici pa-  
les; quam ob causam etiam in singulis Imperii Urbibus  
Imperatores suo Præfectos & Ministros vulgò *Die Reichs-  
Schultheissen* oder *Reichs-Vöigte* dictos habuerunt qui i-  
psorum nomine jurisdictionem explicabant, senatoriis  
consultationibus non intererant modò, sed etiam totaliter  
præerant. Hic Eberhardus Würtebergæ Comes 24. Sue-  
viæ liberarum Civitatum Patronus & Administrator fuit.  
*Hortleder. tom. 2. l. 3. fol. 616.* Imò illas Civitates sæpius  
Imperatores aliis Magnatibus jure pignoris tradebant, qua  
occasione Noriomagum aliasque quamplurimas Civita-  
tes liberas ante & Imperio immediatè subditas vicini Prin-  
cipes denominantur. Sicut obiter hoc addam Alberti filius  
Fridericus Hilaris, alias fortis & admorsus dictus, Altenbur-  
D gum,

gum, Zvickam, Chemniz, Civitates Imperiales pro sum-  
tibus in expeditionem defensivam obtinuit.

II. Hi autem Praefecti quorum fecimus mentionem ple-  
rumque erant Principes, vel Episcopi, vel Comites, qui e-  
as Praefecturas per Vicarios suos administrabant, qua de re  
videri possunt, quae scripsit *Lehmann. lib. 2. c. 14. & lib. 4. c. 2.*  
Et hac ratione adhuc Praefectura Civitatis Imperialis Wez-  
lariensis investituris Caesariis confertur Celsissimis Hassiae  
Principibus, cujus administratio pro hoc tempore Darm-  
stadinae Lineae competit, quae in hunc usque diem Vicari-  
um einen Voigt ibi constitutum habet, qui & iudicii praes-  
fidet, & executionum negotia procurat. Verum quia uni-  
co hoc casu excepto non amplius per Praefectos Caesareos,  
sed per ipsos Cives ac proprios Magistratus a se constitutos  
Jurisdictio Civitatum Imperialium omnimoda, & reliqua  
eis concessa potestas liberè explicatum magis est, ut de il-  
larum Juribus hodiernis agam.

III. Cum vero Jura Civitatum Imperialium quae-  
dam sint generalia & communia, quaedam propria seu  
specialia, Lectorem Benevolum monere volui, meum  
institutum non esse hic omnium civitatum jura particula-  
ria recensere, de his enim alias DN. Knipschild. in prolixo  
opere disseruit; quorsum L. B. remitto. Tangam itaque  
summo quasi digito Jura Civitatum Imperialium univer-  
salia, neque tamen omnia; pagellarum enim angustia, &  
abiturientium confusus rerum status hoc non videntur ad-  
mittere, sed tantum nonnulla eaque potiora.

IV. Ex quibus puto esse, I. Jura territorialia, habent  
quippe omnes civitates Imperiales Jus territoriale in suis  
territoriis die *Landes-Obrigkeits*; negat quidem hoc *Andreas  
Knichen. in Tractatu de territoriali Jure c. 1.* hancque suam o-  
pinio-

pinionem totis viribus tueri conatur in Velitat. Apologet.  
Verum à nostra opinione ne recedamus, sequentes nos cogunt rationes: (1.) enim Jurisdictio territorialis propriè descendit ex immediata subjectione, & quod quis in numerum Statuum sit cooptatus. Id verò cum de Civitatibus Imperialibus, ut media sectione demonstravimus, palam sit, quis dubitat, quin ea tanquam Imperii membra præter Jus suffragii ferendi Imperatorem quoque in ipso territorio repræsentent, ac de totius corporis natura participant, idemque jus, quod reliquis statibus, quatenus statibus competit, habeant? (2.) Civitates Imperiales propria territoria habent, & quidem ut Imperii Status Imperatorem eo nomine immediatè recognoscentes: Habebunt itaque Jus, territorio inhærens, nempe ipsam superioritatem: quid enim aliud est summum territorii Jus, quam potestas in aliquo territorio particulari Domino territorii competens, eodem modo, quo Imperatori competit in toto Imperio. Videatur *Besold. in discurs. de Jurisdiction. Imper. Rom. c. 17. & 18.* (3.) Sententiam nostram probat textus expressus in *Constitutione de Pace constantia vers. volumus*, qui locus non est tantum intelligendus, ut *Knicben putat de Italicis Civitatibus.* (4.) Denique concordat experientia, videmus enim omnis hac vice aliis Argentoratenses, Lubecenses, Noribergenses Regalia cum mero & mixto Imperio atque omnimoda Jurisdictione exercere; Cancellarias item suas, judicia, Leges peculiare, & ea quæ ad sui Status defensionem præsidia necessaria sunt, habere. Hoc libenter concedo, quod Civitates Imperiales non habeant *Landes- Fürstliche Obrigkeit*; Principum enim jura personalia non habent, cum enim in ejusmodi civitatibus non sit Dux vel Princeps ein Fürst: ergò nec jura Principis *Fürstliche Obrigkeit.*

V. Refero II. ad potiora Civitatum Imperialium Jura communia liberum & publicum Religionis exercitium. Quod enim Civitates Imperiales æque ac alii Status & Principes Imperii liberum & publicum, tam Augustanæ, quam Catholicæ religionis habeant exercitium, in Pacificatione religiosa de anno 1555. Augustæ erecta. §. *Nachdem aber in vielen freyen Reichs-Städten* &c. expresse cautum est. Rationem si desideras hanc habes, quod liberum & publicum Religionis exercitium ex immediata Jurisdictione profluat, & in jure territoriali radicatum dicatur; Jam Civitates Imperiales non solum immediatam ab Imperio habent Jurisdictionem, sed & Status sunt Imperii, ad Comitatus Imperialia vocantur, in quibus votum tam decisivum, quam consultativum habent, ac superioritatis jura iis competunt, veluti supra probavimus: Sed quaeritur quid juris, si Civium in his magna pars Augustanæ Confessioni addicta sit, ordo verò Senatorius uti & reliqua plebis multitudo ex Pontificiis decurionibus constet; An Magistratus illis petentibus publicum hujus religionis exercitium, quod antea ibi non fuit, invitum permittere teneatur? Negat id Pet. Frid. Min. de processu lib. I. Cui propter urgentes rationes calculum nostrum addere non ambigimus.

VI. Fuit hæc quaestio Mota, & à Dnn. Cameralibus in utramque partem disputata Anno c1510 LXXXIIX. in causa Civium quorundam Numerosorum contra Senatum Coloniensem. Illi petebant pro se & consortibus suis publicam religionis libertatem; Magistratus verò præfractè precibus eorum resistebat, & in hunc usque diem restitit. Sane si causa ex ratione Juris decidenda, ac sincerum, nihil affectibus tribuendo, uti *Mind.* ipse protestatur, cum Doctoribus exponendum esset judicium, non video cur ab allegati

gati Frid. Mind. opinione debeam recedere, quod enim Senatui universi talem repræsentanti competit, id nec singuli Cives, nec major eorum pars sibi vindicare potest Atqui facultas permittendæ Religionis competit universitati tanquam Statui Imperii, Ergo Civibus ut singulis non competit, quia his definitio Statuum Imperii non convenit.

VII. Aliud tamen dicendum monet Wurmser ex Syringii dissert. de pace Religionis, si utraque Religio in Civitate aliqua Imperiali ante pacificationem religiosam in usu fuisset, quo certè casu utrique sua constare debet libertas, nulla cuiquam eo nomine à Magistratu molestia inferenda N. N. de Anno 1555. S. Nachdem aber in vielen Frey- und Reichs-Städten. Excipit & hunc casum, ubi status Civitatis alicujus non pure Aristocraticus sit, sed cum Democratia mixtus, qualis est e.g. Argentinx.

VIII. Ad Jura potiora Civitatum Imper. Communia pertinet contrahendorum fœderum jus. Et id quidem habent Civitates ad conservandam pacem publicam, Imperii Salutem, ac pro defensione bonorum & territoriorum. Hinc saluberrimè cautum in Instrumento pacis Cæsar: Svec. Art. c. 2. his ver. *Cum primis Jus faciendi inter se & cum cæteris fœdera, pro sua cujusque conservatione ac securitate singulis statibus perpetuò liberum esto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemq; ejus publicam & c.* ita in Judicio Camerae Imperialis Anno 1553. fœdus inter Episcopos Herbipolensem & Bambergensem ac Civitatem Norinbergensem adversus Albertum Marchionem Brandenburgensem initum, ut licitum approbatum fuit, Mynsnius: 6. obs. 2. Quod autem Civitatibus Hanseaticis, quæ plurimæ sunt Municipales permillum

sit fœdera pangere, id non nisi ex privilegio vel præscripti-  
one habent, cum quatenus tales non sint in numero Sta-  
tuum.

IX. Ultimò huc pertinet Jus mittendi Legatos, Jus  
belli gerendi & quidem defensivè incio, offensivè autem  
non nisi cum consensu Imperatoris in tantum, ut si negle-  
cto illo Civitas aliqua Imperialis aut aliquis alius Status te-  
merè arma movere in Imperio audeat, in crimen fractæ pa-  
cis publicæ is incidat, contra quem Camera Imperialis vel  
judicium Aulicum mandata avocatoria sub pœna Banni &  
amissionis omnium beneficiorum & privilegiorum sine  
clausula justificatoria decernuntur. *Gail. I. P. P. c. 4.* per to-  
tum Reliqua Jura hic persequi & Imperioris angustia & ra-  
tio instituti prohibent. Saltem Coronidis loco quæren-  
dum, an Jus Austregarum sit omnium civitatum Imperia-  
lium commune. an quarundam saltem ex privilegio Spe-  
ciali competens? Et licet Linnæus cum Fischardo, com-  
muniter omnibus civitatibus tribuendum putent, verior  
tamen est opinio, quod non omnibus indistinctè civi-  
tatibus hoc Jus competat, sed illis tantum, quibus spe-  
ciali privilegio acquisitum; sic Argentorata Judices habet  
Ulmam, Wormatiam & Basileam. Noriberga habet Wins-  
heimiam, Weisenburgum in Norico. Ratisbona habet Au-  
gustam Vindelicorum, Noribergam & Ulmam. Eslinga ha-  
bet Judices ordinarios, Consules & Senatum Civitatum  
Ulmæ, Reutlingæ & Heilbrunnæ; Dinkelspula habet,  
Judicem ihrev Stadt Amman; hic sibi quatuor Sena-  
tores juratos adjungit Civili Nörtlingæ, Rotenburgi,  
ad Tubarim, Hallæ & Werdæ Svevorum. Suinfurtum  
habet Judicem præfectum ejus loci Imperialem den  
Reichs Voigt / qui sibi aliquod Senatores sive Scabinos No-  
riber-



Übergentes & Köttenburgentes adiciat. Reutlinga habet  
Judicem Ulmam, Eslingam & Gemundam Suevorum. Et  
his quidem Civitatibus hocce privilegium competit, reli-  
quæ autem à quocunqve tandem, etiam si à Civibus pulsen-  
tur, immediatè in Camera Imperiali debent conveniri, &  
tantum hac vice.

De cætero sanctè protestor, me omnia, quæ hic  
de illustribus Civitatibus Imperii Liberis proposui non de-  
cidendi, sed veritatis indagandæ (quod libertas Academi-  
ca permittit) animo absque ullius Civitatis Imp. præjudi-  
cio, pro ingenii tenuitate scripsisse. Et licet nonnulla  
minus aptè à me sint proposita, adest quæ me apud B. L. ex-  
cusare possit temporis angustia & materiæ hujus diffi-  
cultas. Interim S. S. & INDIVIDUÆ TRINITATI  
cujus auspicio laborem hunc sum aggressus, sit


LAUS, HONOR & GLORIA,  
IN SECULA SECULORUM.


### ERRATA,


quæ ob nimiam festinationem & incuriam typogra-  
phi huc irrepsérunt, præcipua hæc sunt :


Sect. I. § 1. lin. 11. pro ibi, lege sibi, lin. 25. pro inductam, lege introductam, § 8.  
lin. 7. pro iterentur, lege niterentur. § 15. lin. 34. post verba Kayserl. Majest.  
adde: ohne Mittel haben und erkennen/ und wird darumb / so man aller Stände  
Wegen/bey Kayserl. Majest. § 16. pro hæc; leg hæq; pro illis, lege illarum, § 17. l. 4.  
pro universotum leg. universorum. l. 10. pro Schwäbische/ lege Schwäbische. Sect.  
II. § 4. lin. 9. pro Wonnser, lege Wurmsr. § 11. lin. 5. pro hoc lege, hæc. § 12.  
lin. 12. pro medietatis lege, immedietatis. § 14. pro non quidam / cum finem, lege  
non quidem in eum finem. § 15. lin. 8. pro Lymæus lege, Limæus lin. 14. pro a-  
uimus, l. animus. § 16. pro libera lege, liberæ, l. 20. Satus, lege, Status. l. 27. defini-  
tione lege definitioni. Sect. III. § 1. lin. 4. pro Imperialibus, l. Imperialibus, lin. 13 pro  
fuso, l. fuos, lin. 13. pro Sic, l. Sic. lin. 17. pro Noriom, l. in Noviomagum, lin. 19.  
pro densinârur, leg. dominantur. § 2. l. 14. explicatum, lege, explicatur; § 5. lin. 17.  
pro multitudo, lege multitudo, § 6. lin. 1. pro Mota lege mota, lin. 11. pro universi-  
talem, lege universitatem, lin. 13. pro Religioacs, lege Religionis, § 8. lin. 14. pro  
Mynsius, lege Mynsiag. § 9. pro Imperiois lege temporis, lin. 18. pro Argentoræ  
ea, lege Argentoratum, l. 25. Civili lege Civitatis, lin. 28. aliquid lege, aliquot.











DO A 6368

ULB Halle

004 107 217


3




Retro ✓

WVA









14  
7.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
<sup>De</sup>  
LIBERIS S. R. IM-  
PERII CIVITATI-  
BUS,

<sup>Quam</sup>  
Auspicio SS. & Individuæ Trinitatis  
DECRETO ET AUCTORITATE  
*Magnifici Jctorum Ordinis in Illustri*

*SALANA,*

SUB PRÆSIDIO  
DN.

GEORGII ADAMI Struven/  
Jcti per Orbem Celeberrimi, Sereniss. Ducum Saxo-Vi-  
nariensium Consilarii Intimi, Facultatis Juridicæ Ordinarii, Curie  
Provincialis ac Scabinatus Adfessoris Primarii gravissimi,  
h. t. DECANI,

*Dn. Patroni æternum colendi,*

Pro consequendis summis in utroque Jure  
Privilegiis, Honoribus & Dignitatibus Docto-  
ralibus,

*Publica Censura exponit*

JOH. JOACHIMUS Gwandschneider / Noribergensis.

*Ad diem 8. Januarii, M. DC. LXXVI. Horis locoque consuetis.*

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.